



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

III. De materia, forma, qualitate & quantitate Propositionis, & de signis
hanc indicantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

quia apud Dialecticos significationis potius, quam vocis ratio habenda est. Propter eandem rationem asserit vocibus his

Aio te Rurda Romanos vincere posse,
 duplicem propositionem proferri iuxta duplicem sensum, quem habere possunt, vnam respondentem his vocibus *Aio te posse vincere à Romanis* his alteram *Aio Romanos posse vincere à te*. Doctrinam hanc non improbo, & plus quam medio-cris fundamento excogitatum esse censeo.

4 Duplex est Oratio: quedam perfecta, alia imperfecta; Oratio imperfecta dicitur, quæ suspensum relinquit audientis animum, perfectumque non generat sensum; veluti *lectionem legis, lectionem legere*, alique huiusmodi. Oratio perfecta dicitur, quæ perfectum generat sensum, & quæ auditæ mens quietit audientis, veluti cum dicitur:

O mihi post nullo inquam memorande sodales,

5 Ex orationibus perfectis quedam sunt enunciativæ, alie non enunciativæ. Oratio enunciativa propositio dicitur, idemque est inquirere quid sit oratio enunciativa, ac interrogare quid sit propositio. Oratio enunciativa, seu propositio vulgò definitur: *Propositio est oratio quæ auditæ possumus respondere, verum dicis, vel falsum dicis*. Alio modo: *Oratio continens veritatem, vel falsitatem*. Exemplum accipe in his orationibus *Petrus currit, Ioannes legit*, quæ sine veritate, aut falsitate non proferuntur. Oratio ergo non enunciativa erit, quæ neque veritatem, neque falsitatem gaudet; veluti cum dicimus: *Vtinam vacasses literarum studio*.

6 Prædictæ propositionis definitiones rectè cum definito correspondent, & satis clarè rem explicant, verumtamen aptior alia querenda est, quia hæc per disunctionem naturam propositionis explicant, quæ in quantum fieri possit in definitione vitanda est, quia duplicem reddit definitionem, quarum una parti cuidam definiti, seu quibusdam inferioribus rationis communis, quæ definitur, & altera alteri parti, seu aliis inferioribus convenit. Definienda ergo est propositio, oratio ex vi cuius unum de alio enunciat, seu oratio in qua unum de alio dicitur, quæ definitione satis clarè natura propositionis proponitur, ex terminis enim ipsis notum est omnibus, quid sit dici unum de alio. Convenit etiam hæc definitio omnibus propositionibus, & nulli non propositioni, quia ubi unum de alio enunciat, est subiectum de quo aliud enunciat, seu dicitur, & prædicatum, quod de illo uno dicitur; subiectum autem, & prædicatum in omnibus propositionibus, & in illis tantum reperitur. Insuper ubi est subiectum, & prædicatum, veritatem, aut falsitatem, quæ sunt propriæ affectiones propositionum, reperiri necesse est. Circa hæc definitionem advertas enunciatum unum de alio, seu unum de alio dici, extendi ad affirmationem, & negationem convenientiam inter prædicatum, & subiectum, veluti cum dicitur *Petrus est albus*, & cum dicitur *Petrus non est albus*, quia tunc de illo enunciatum esse non album.

PUNCTUM III.

De materia, forma, qualitate, & quantitate Propositionis, & de signis hanc indicantibus.

1 **M**ateria propositionis sunt subiectum, & prædicatum quatenus inter se dicunt ordinem. Ordo iste triplex est, ideo triplex materia propositionis assignatur. Aut enim prædicatum necessarîo coniungitur cum subiecto, & tunc materia propositionis necessaria, seu naturalis dicitur, veluti in hac propositione *homo est rationalis*. Aut prædicatum repugnat subiecto, veluti in hac propositione *homo est lapis* tunc materia remota, repugnans, & impossibilis solet appellari. Aut prædicatum contingenter convenit subiecto, veluti in hac propositione *homo est albus*, & tunc materia propositionis contingens appellatur. Materia naturalis dividitur in essentialiam, veluti in hac propositione, *homo est animal*, in qua prædicatum est de essentia subiecti, & in purè naturalem, veluti in hac propositione, *homo est risibilis*, cuius prædicatum est extra subiecti essentialiam. Item contingens dividi potest in naturalem, veluti *homo est albus*, cuius prædicatum naturaliter accidit subiecto; & in supernaturalem, veluti *homo est charus Deo*, cuius prædicatum supernaturale est respectu subiecti. In materia necessaria propositio affirmativa semper est vera, negativa semper est falsa. In materia remota, propositio affirmativa semper

est falsa, & negativa semper est vera. In materia contingenti tam propositioni affirmativæ, quam negativæ aliquando veritas, aliquando falsitas contingit.

2 Forma propositionis Categorice est copula est secundum se sumpta, vel affecta negatione; secundum se sumitur cum dicimus *Petrus est albus*, cum verò dicimus *Petrus non est albus* copula est non secundum se, sed ut affecta negatione propositionem constituit, & illius est forma. Ex hoc inferes formam propositionis negativæ, & affirmativæ essentialiter esse distinctas, & propositiones ipsas inter se essentialiter differre. Ratio est facilis: forma huius propositionis *homo est animal*, & sic de quacunque alia affirmativa, est connexio, coniunctio, & unio inter extrema, quapropter propositio affirmativa vocatur ab Aristotele compositio; forma verò propositionis negativæ, v.g. *Petrus non est equus*, est separatio, disunctio, & divisio extremorum. Ideo Aristoteles propositionem negativam divisionem vocabat. Sed separatio, disunctio, & divisio differunt essentialiter à compositione, coniunctione, & unionem: ergo forma propositionis negativæ essentialiter differt à forma propositionis affirmativæ: ergo non est utriusque forma copula est eodem modo se habens, sed in propositione affirmativa, sumpta secundum se; & in negativa, negatione affecta. Ex hoc inferes differentias propositiones affirmativæ, & negativæ esse essentielles respectu propositionum, quas faciunt essentialiter differre, malèque ad qualitatem propositionis referri esse affirmativam, vel negativam, quod ut probatum est ad illius essentialiam spectat. Propositio affirmativa dicitur illa, cuius præcipua copula affirmat, & propositio negativa dicitur illa cuius præcipua copula negat. Unde si negatio copulam non afficiat, propositio erit affirmativa, veluti cum dicitur *Petrus est non lapis*. Additur cuius præcipua copula, propter alias copulas minis principales, de quarum affirmatione, aut negatione ratio habenda non est, ad cognoscendam propositionem affirmativam, aut negativam, veluti cum dicitur *Petrus, qui non loquitur ambulat*, quæ propositio est affirmativa, est verbum, loquitur sit negatum, quia hoc non in se continet præcipuam copulam, quæ in verbo *ambulat* continetur, quod affirmatur, & ideo propositio affirmativa dicitur. Similiter cum dicitur *Petrus, qui loquitur non ambulat*, propositio est negativa, quia præcipua copula est negata, est alia minis præcipua sit affirmata. Formam propositionis hypotheticæ, quæ formaliter constituitur in ratione propositionis, esse verbum est immediatè annexens extrema in propositione affirmativa, in qua secundum se sumitur, aut illa diuidens in propositione negativa, in qua negatione afficitur, ostendam Punct. 4.

3 Qualitas propositionis, illius veritas, vel falsitas est dicenda, quam accidens esse propositionis aliquid illi extrinsecum importans ostendat *Controvers. 7. de Anima*, quam totam instituit de veritate, & falsitate propositionis, ubi nonnulla circa hæc materiam late tradam.

4 Quantitas propositionis est extensio subiecti ad suum significatum, vel ad sua significata. Hæc est quadruplex, quedam universalis, cuius nomen est commune affectum signo vniuersali disponenti distributivè, veluti *omnis homo currit*. Alia particularis cuius nomen est signo particulari affectum, veluti, *aliquis homo currit*. Alia indefinita, cuius nomen est commune nullo signo affectum, veluti, *homo currit*. Alia singularis cuius nomen est singulare, vel commune signo demonstrativo affectum, veluti, *Petrus currit, hic homo currit*. Signa, quæ ex parte prædicati se tenent, non constituunt propositionem quantam, ideo hæc propositio *Petrus est omnis homo* singularis est, est ex parte prædicati signo vniuersali afficiatur. Nomina obliqua se tenentia ex parte subiecti quado nullo signo afficiuntur quantitatem propositionis non constituunt, hæc enim propositio, *omnis equus Petri currit*, vniuersalis est, est ex parte subiecti nomen singulare *Petrus* in obliquo ponatur. Quod si hi casus obliqui afficiantur signo vniuersali affirmativo, tale signum distribuet significatum casus obliqui, & ad quantitatem propositionis non spectabit, veluti cum dicimus *omnis hominis equus currit*, propositio erit particularis, & terminus *equus* sub disunctione resolvetur, eritque idem ac dicere: *omnis hominis aliquis equus currit*, hoc est, huius hominis vel hic equus currit, vel hic equus currit, &c. & huius hominis vel hic equus currit, vel hic equus currit, & sic de aliis semper cum

cum distributione casus obliqui, & disunctione termini equus, qui est in recto, & subiectum propositionis dicitur. Eadem ratio erit, proportionem seruata, si casus obliquus afficiatur signo particulari affirmatiuo, veluti cum dicitur, *alicuius hominis omnis equus currit*, tunc signum obliquum *alicuius* disjungit casum obliquum, quem afficit, & terminum *equus* intactum relinquit, qui ex vi signi *omnis*, quo afficitur, distributiue supponit, totaque propositio sic distribuitur, huius hominis hic equus currit, & hic equus currit, &c. vel huius hominis hic equus currit, & hic equus currit, &c. & tunc verificabitur propositio, cum inueniatur vnus homo, cuius omnes equi sint currentes.

De signis negatiuis afficientibus casus obliquos non eadem est habenda ratio, vt plurimum enim hæc signa vniuersalia afficiunt præcipuum subiectum, licet aliquando possint illud non afficere; cum enim signum negat possessionem significari in obliquo respectu recti, quam arguebat casus obliquus, tunc signum vniuersale negatiuum tantum afficit obliquum significatum propositionis, quod immediatè afficit: cum vero hanc possessionem non negat, non solum distribuit obliquum significatum, sed etiam subiectum præcipuum propositionis significatum in recto. Exempli gratia, hæc propositio. *Equus nullius hominis currit* potest habere hunc sensum, equus qui nullus est hominis, seu, equus non possessus ab homine, currit, & tunc signum *nullius* tantum afficit terminum obliquum *hominis*, & præcipuum subiectum *equus* eodem modo relinquit, quapropter propositio erit singularis, & hæc ratione resoluenda. Hic equus, qui non est huius hominis, neque huius hominis, neque huius hominis, neque huius hominis, vel hic equus qui non est huius hominis, neque huius hominis, currit, & sic de aliis, semper cum distributione termini *hominis*, & disunctione præcipui termini, subiectique propositionis *equus*. Potest insuper prædicta propositio hunc sensum efficere, nullus datur homo cuius omnes equi currant, & tunc terminus *nullus* totam propositionem afficit, & terminum *equus* qui ex vi signi *omnis* supponebat distributiue, facit supponere disunctiue, & propositio hoc modo distribuenda est: huius hominis vel hic equus non currit, & huius hominis vel hic equus non currit, vel hic equus non currit, &c. semper cum distributione termini *hominis*, & disunctione termini *equus*, dicere enim, nullus est homo, cuius omnes equus currant, idem est ac dicere, nullus est homo in his, qui equos possident, cui non sit aliquis equus, qui non currat. Quod si prædictam signum obliquum inueniret terminum *equus* non distributum, seu supponentem disunctiue, illum distribueret, quia signum negatiuum destruit, quod inuenit, & terminum supponentem distributiue, facit disunctiue supponere; & illum qui disunctiue supponebat, facit supponere distributiue: quare hæc propositio *nullius hominis aliquis equus currit*, hoc modo resoluenda est neque huius hominis hic equus currit, neque hic equus currit, &c. Deinde neque huius hominis hic equus currit, neque hic equus currit, &c. distribuendo semper terminum *hominis*, & sub quocumque singulari illius omnia singularia termini *equus*.

Sunt etiam alia signa mixta, quæ in se categoremata aliquod includunt veluti *nunquam*, *semper*, *aliquando*. Ex his affirmatiua veluti *semper* & *aliquando* tantum suum categoremata, non verò quantitatem propositionis constituunt nec metiuntur, hæc enim propositio *semper homo currit* particularis est, etsi tempus significatum hoc signo *semper* vniuersaliter supponat, quia præcipuum subiectum propositionis supponit particulariter, & ita prædicta propositio resoluenda erit; in hoc tempore hic homo currit, vel hic homo currit, &c. & in hoc tempore hic homo currit, vel hic homo currit, &c. & sic de aliis. De hoc signo *aliquando* proportionem seruata eodem modo iudicium ferendum est, tantum enim disjungit suum categoremata pro quo particulariter supponit, & nullo modo afficit præcipuum subiectum in ordine ad propositionem quantificandam, quapropter hæc propositio, *aliquando omnis homo currit*, vniuersalis est, etsi signum *aliquando* sit particulare.

Aliter contingit in hoc signo vniuersali negatiuo *nunquam*, quod non solum suum categoremata, sed præcipuum subiectum propositionis afficit, quod distribuit, si non inuenit distributum, & disjungit si inuenit distributum; refundit enim suam negationem supra subiectum

præcipuum, & supra copulam propositionis, quæ negatio cum malignantis sit nature, totum quod post se inuenit destruit. Ideo propositio ista *nunquam homo currit*, seu *nunquam aliquis homo currit*, hoc modo resoluenda; neque in hoc tempore currit hic homo, neque hic homo, &c. Deinde neque in hoc tempore currit hic homo, neque hic homo, & sic de aliis distribuendo semper terminum *nunquam*, & sub quocumque singulari illius terminum *homo* secundum omnia singularia quæ continet. Hæc autem propositio, *nunquam omnis homo currit*, ita est resoluenda, neque in hoc tempore currit homo: & sic de aliis non distribuendo terminum *homo* per propositiones negatiuas, sed illum hoc modo disjungendo; in hoc tempore vel hic homo non currit, vel hic homo non currit, & in hoc tempore vel hic homo non currit, vel hic homo non currit, & sic de aliis semper cum distributione termini *temus* & disunctione termini *homo*. Ex hac doctrina inferes hanc propositionem *nunquam aliquis homo currit* esse vniuersalem, quia illius præcipuum subiectum *homo* distributiue supponit, & propositionem istam *nunquam omnis homo currit* esse particularem, quia illius præcipuum subiectum *homo* disunctiue resolutur.

In hac propositione *aliquis homo nunquam currit*; quæ hunc potest efficere sensum, datur vnus determinatus homo qui nullo tempore currat, seu qui semper quiescat, signum *nunquam* suum tantum afficit categoremata, & præcipuum signum intactum relinquit, quapropter prædicta propositio particularis erit. Idem iudicium fiet de hac propositione *omnis homo nunquam currit*, si illius sensus sit de quocumque indiuiduo homine posse verificari nunquam currere, seu non posse verificari quod aliquando currat. Ratio propter quam signum *nunquam* in his propositionibus præcipuum subiectum non afficiat, est, quia non reddit propositiones negatiuas, quod præstat in prioribus, quarum subiecta afficit, hæc enim propositio *aliquis homo nunquam currit*, hoc est, datur aliquis homo, qui nullo tempore currat, affirmatiua est, hæc autem negatiua *nunquam aliquis homo currit*, hoc est, non datur tempus aliquod in quo aliquis homo currat. Secundum hanc doctrinam dicendum est hanc propositionem *aliquis homo nunquam currit*, in sensu explicato particularem esse, hancque esse vniuersalem *omnis homo nunquam currit*, in eodem sensu desumptam.

Hæc signa *utroque*, & *neuter* mixta dici solent, quia disjungunt binaria, & distribuunt vnitates, hæc enim propositio *utroque homo currit*, ita resolutur: ex his duobus iste & iste currit, vel ex his duobus iste & iste currit, & sic de aliis semper cum disunctione binariorum, & distributione vnitatum. Eadem ratione resolutur hæc propositio *neuter homo currit*; horum duorum neque iste neque iste currit, vel horum duorum neque iste, neque iste currit, & sic de illis cum disunctione binariorum, & distributione vnitatum. Signum *alter* opposito modo resolutur cum distributione binariorum, & disunctione vnitatum, exempli gratia, *alter homo currit*, horum duorum iste vel iste currit, & horum duorum iste vel iste currit, & sic de aliis cum distributione binariorum, & disunctione vnitatum. Iuxta prædictam doctrinam propositiones istæ *neuter homo currit*, *utroque homo currit*, *alter homo currit*, mixtæ essent dicende, duæ priores vniuersales respectu vnitatum, & particulares respectu binariorum, & posterior vniuersalis respectu binariorum, & particularis respectu vnitatum, vsu tamen receptum est, duas priores dici vniuersales, & posteriorem particularem appellari.

Coniunctio & propositionem vniuersalem constituit, quando coniungit extrema de quorum quolibet potest predicatum verificari, veluti cum dicimus: *Petrus & Ioannes currunt*, tunc enim illa propositio in has duas resolutur, *Petrus currit*, & *Ioannes currit*, in quibus distribuitur subiectum prioris. Quando verò coniungit extrema, de quibus tantum simul sumptis verificatur predicatum, vnum ad integrat subiectum, quod non potest in inferiora distribui, & ita propositio vniuersalis non est: sic accidit cum dicimus, *Petrus & Ioannes portant totum pondus*; tunc enim *Petrus*, & *Ioannes* vnum subiectum indiuisibile, & resoluibile in alia subiecta respectu eiusdem predicatorum continent. Disunctio *vel*, semper propositionem particularem constituit, hæc enim propositio *Petrus vel Paulus currit*, æquiualeat huic: ex *Petro* & *Paulo* aliquis currit.

II Signa numeri pluralis veluti *omnes, nulli, aliqui*, distribuantur, vel disiunguntur per binarios, quorum unitates copulatim somuntur, quapropter hæc propositiones vnam tantum propositionem habent. Exempli gratia, hæc propositio, *nulli homines currunt*, resoluenda est; neque hi homines currunt, neque hi homines currunt, &c. non tamen iterum potest fieri resolutio; hi homines non currunt: ergo hic homo non currit, & hic homo non currit, alias non distinguerentur ex modo significandi hæc propositiones *nullus homo currit, & nulli homines currunt*. Hæc ita dicenda sunt ut propositiones contradictorie oppositæ numeri pluralis, rectè & commodè possint assignari, & strictè loquendo vera sunt, in communi tamen modo loquendi in his propositionibus ad ultimam usque unitatem fit resolutio.

12 Hæc omnia quæ de quantitate propositionis, & signis illam constituentibus fuisse dixi, apprimè debet obseruare recens Dialecticus, ne illi duplex propositio contradictoria, vtrique vera, aut vtrique falsa appareat, quæ si percaleat dexterè, poterit cuicumque propositioni suum contradictorium assignare: aliter in duplex contradictorium vtrumque verum, vel vtrumque falsum passim incidet.

PUNCTUM IV.

Diuiditur propositio in Categoricam & Hypotheticam & vtriusque essentia explicatur.

I Elebris est diuisio propositionis in Categoricam, & Hypotheticam, quæ vulgò sic definiuntur. Propositio Categorica est, quæ constat subiecto & prædicato tanquam partibus proximis. Propositio Hypothetica dicitur, quæ constat subiecto & prædicato tanquam partibus remotis. Non acquiesco, quia hæc propositio, quæ in omnium opinione hypothetica est, si *Sol luceret, dies esset*, non constat subiecto, & prædicato tanquam partibus remotis, hoc enim est constare immediatè partibus, quarum quælibet, vel aliqua illarum constat subiecto & prædicato, quod in hac propositione non contingit, in qua nullam partem poteris assignare, quæ subiectum, aut prædicatum includat, siue enim assumas partem hanc *si Sol luceret*, siue alteram *eligas dies esset*, vtramque subiecto & prædicato carentem inuenies.

2 Huic argumento posset solutio adhiberi iuxta definitionem aliam propositionis hypotheticæ, quam nonnulli adducunt, videlicet: *Propositio hypothetica est, quæ constat duabus categoricis, vel earum locum habentibus*. Exemplum propositionis hypotheticæ constantis duabus categoricis esto hæc hypothetica, *Petrus legit, & Ioannes audit*; exemplum autem hypotheticæ constantis extremis habentibus locum duarum categoricarum ministrat hæc propositio, *si Sol luceret, dies esset*. Contra priorem definitionem ostendam postea omnem propositionem constare subiecto, & prædicato tanquam partibus proximis; & contra posteriorem probabo complexum illud *Petrus legit & Ioannes audit*, non esse simplicem propositionem hypotheticam, sed duplicem categoricam continere cum ipsarum distinctione. Modò tamen rogo cur fingat hæc opinio in hac propositione, *si Sol luceret, dies esset*, extremum istud *si Sol luceret*, obtinere locum vnius categoricæ, & extremum alterum *dies esset* aliis categoricæ vices gerere. Dices quia substituuntur loco duarum categoricarum, quæ debebant inesse propositioni hypotheticæ. Contra huic propositioni, *si Sol luceret, dies esset*, implicante duæ categoricæ inesse, quia per se ipsam constat extremis quibus de facto componitur, & alia quæcumque illi repugnant. Secundo gratis supponitur omnem hypotheticam debere constare duabus categoricis. Tertiò ex suppositione quod debeat constare omnis propositio hypothetica duabus categoricis, unde inferes extrema huius propositionis *si Sol luceret, dies esset*, poni loco duarum propositionum categoricarum? ego enim asseram poni loco duarum definitionum, vel duarum demonstrationum, quibus fingam hypotheticam debere constare. Hæc omnia frigidè dicuntur, & sine ardore sunt impugnanda. Mitto etiam Auctores definiētes propositionem hypotheticam per duas categoricas quibus constare affirmant, non explicare, quid sit propositio categorica, quæ si prius non cognoscatur, cognosci non

poterit, quæ propositio constet duabus categoricis, & hypothetica sit.

Proprius ad rem accessit Hurtadus disp. 3. sect. 3. qui asserit propositionem categoricam esse propositionem absolutam & se sola significatiuam; Propositionem vero hypotheticam expressè non definit, sed hæc subiicit: *Exemplum autem propositionis aliunde pendens sit: si Petrus uenerit loquatur, subiectum cum prædicato nectitur non absolute, sed cum dependentia*. Ex quibus ad mentem huius Auctoris hanc infero definitionem: *Propositio pendens aliunde, vel, ut ipse explicat, cuius subiectum cum prædicato nectitur non absolute, sed cum dependentia ab alio*. Hæc si rectè explicentur, existimo vera esse; nihilominus ut iacent, rem non declarant, non enim Hurtadus definit, an propositio constet subiecto & prædicato tanquam partibus proximis aut tanquam partibus remotis, neque hæc extrema assignat in propositionibus conditionalibus, quæ potissimè hypotheticæ sunt. Deinde hoc quod est propositionem esse se sola significatiuam, quod proprium esse ait propositionis categoricæ, commune est omni propositioni, hæc enim propositio hypothetica, *si Sol luceret dies esset*, se sola est significatiua, si integra & secundum se totam sumatur.

Sentio omnem propositionem siue categoricam, siue hypotheticam constare æquè primariò & per se subiecto & prædicato tanquam partibus proximis. Probo facile: Omnis propositio est enunciatio vnius de alio; ergo in omni propositione datur vnum de quo enunciat, quod est subiectum; & aliud, quod enunciat, quod est prædicatum; ergo omnis propositio constat subiecto & prædicato. Deinde hæc extrema, seu hoc subiectum, & hoc prædicatum immediatè annectuntur copulæ est; ergo immediatè componunt propositionem. Secundo omnis propositio est iudicium, quod essentialiter est cognitio, quæ cognoscitur conuenientia duorum extremorum; ergo omne iudicium seu omnis propositio dicit vnum extremum cui aliud conuenit, & aliud, quod conuenit, quorum hoc prædicatum; illudque, subiectum nuncupantur. Neque iuvat dicere hypotheticam habere subiectum, & prædicatum remotum; quia iudicium immediatè enunciat vnum de alio, & immediatè fertur in conuenientiam extremorum; ergo immediatè respicit illud, quod enunciat, videlicet prædicatum, & illud de quo enunciat scilicet subiectum; ergo dicit subiectum & prædicatum tanquam extrema immediatè affecta copulæ est; ergo tanquam partes immediatè componentes propositionem. Insuper impugnauit iam hunc dicendi modum, dum refelli definitionem propositionis categoricæ, quæ constat subiecto & prædicato tanquam partibus proximis.

Assero insuper formam, quæ propositio hypothetica constituitur formaliter propositio, seu in ratione propositionis, esse copulam est non alias particulas, quia, si, ergo, & vel, quæ vulgò assignantur. Dixi, quæ propositio hypothetica constituitur in ratione propositionis, quia distinguenda est forma, quæ propositio hypothetica constituitur, formaliter propositio, à forma, quæ hypothetica constituitur, sicut in propositione categorica vniuersali distinguitur forma, quæ constituitur in ratione propositionis, à forma quæ vniuersalis constituitur; hæc enim in hac propositione *omnis homo est animal*, est signum omnis; illa verò copulæ est. Conclusionem sic explicatam probo. Propositio hypothetica dicit formaliter enunciationem vnius de alio, & conuenientiam vnius de alio. Sed enunciatio, & conuenientia tantum significatur per copulam est: ergo tantum copulæ est significat formam propositionis. Maior constat ex sæpe dictis; Minor ex terminis constat, quia particula *quia, si, ergo, &, vel*, non significant conuenientiam cum prædicato.

Forma, quæ propositio hypothetica constituitur in ratione hypotheticæ tantum est particula si. Hanc particulam constituere propositionem conditionalem hypotheticam formaliter facile euinco. Propositio hypothetica constituitur formaliter talis, per id, ex vi cuius differt à categorica. Sed propositio conditionalis, quæ est hypothetica in omnium sententia, tantum differt à categorica per particulam si: ergo per hanc constituitur formaliter hypothetica. De reliquis particulis *quia, ergo, &, vel*, constabit ex his quæ iam subiicio, quibus probo propositionem causalem, rationalem, coniuunctiuam, & disiunctiuam,